

Hist. Pomer. VII. 3.

**DOCTRINAM
POMERANORUM,
RUM,**

De
Privata Confessione & Absolutione,
nec non de

Excommunicatione & Absolutione publica,

Ex
AGENDIS IPSORUM ECCLESIASTICIS
per THESES repetitam,

CONSENSU VENERANDI COLLEGII THEOLOGICI
IN ACADEMIA GRYPHICA,

PRÆSIDE

ALB. JOACH. de KRAKEVITZ,

S.S. Th.D. & Prof. Pr., Consistorii Regii Præside, Duc. Pomeraniæ & Pr. Rugiæ Sup. Gen., atque Universitatis Pro-Cancellario,

IN PUBLICO EXERCITIO DISPUTATORIO

D. 25. Oct. A. C. MDCCXXV.

pro viribus tueri conabitur.

RESPONDENS

ADAM. CHRISTOPH. HÖFER,

Brüla-Megapolit.

GRYPHISWALDIÆ,

Typis Caroli Höpfneri, Reg. Acad. Typogr.

ist. Pom.
152, 3.

POMMERANIAM
POMMERANIAM
RUM

Elizabethe Coppenhagen & Altona
und anders

Elizabethe Coppenhagen & Altona

AGENCIIS PROPRIO ET EXTERNO

POSTERIS REPERTUM

COMPTON & BENTLEY COLLECTOR THEOLOG

221 N. BROADWAY N.Y.

BRITAIN

ALB. JOACH. DE KRAK. VITZ

221 N. BROADWAY N.Y.

BRITAIN

IN THEO. THEOLOG. THEOLOG.

THEOLOG. THEOLOG.

ALB. JOACH. DE KRAK. VITZ

BRITAIN

Typis Carl Hoffmann, Leipzig



PRÆFATIO.



Vi cathedras occupant Disputantium, plerumque nova secum adducere gestiunt, quod improbandum esse minime arbitror, si modò firmis superstructa sint fundamentis. Hic B. L. nil conspicias, nisi quod antiquum: Istam enim hic repetere placuit doctrinam, quam Majores nostri profes si fuerunt, quam & nos hodiè in Pomerania Svecica & Insula Rugia constanter profite mur, partim, ut Studiosi apud nos degentes intelligant, quenam quoad proposita momenta in futurum usum sint addiscenda, partim, ut in ipso Ministerio Ecclesiastico viventes habeant, ad quæ in praxi observanda curatius animum applicent. Volui etiam hac ratione excitare Theologiae Studiosos, ut lectionem Ordinationum Ecclesiasticarum & Agendorum non differant, usque dum officiis Pastoralibus admoti fuerint, sed iisdem mature asvesiant, atque sic bene preparati Sacra capeffant munia. Necessum quoque est, ut omnium primo in Academiis eorum habeatur ratio, quæ antiqua, quæ probata, quæ recepta sunt, ne Studiosi ea negligant aut aspernentur, quæ maxime sunt necessaria & præcipuam secum ferunt utilitatem. Dum itaque Vir Juvenis Ornatis simus DN. ADAM. CHRISTOPH. HÖFER, qui hætenus privatis disputationibus Theologiam Symbolicam sibi familiarem reddere annisus fuit, publicum quoque expetiit actum disputatorium, præsentem exhibere placuit theses. Faxit Clementissimum Numen, ut omnes nostri conatus prosperrimos fortiantur eventus.

A 2

I. N. S. S. T.

I. N. S. S. T.

I.

Papistarum confessio, qua omnium peccatorum enumerationem exigunt, & homines peccatores non ad Christum, sed ad proprias satisfactiones & mera humana instituta ablegant, impia est conscientiae carnificina, adeoque apud nos meritò exulat. f. 123. a.

II. Ritus confessionis in ecclesiis nostris præscriptus est, ut homines quoad fidem explorentur, examinentur & erudiantur, consolationibus itidem ac admonitionibus fruantur, in animarum suarum salutem. f. 123. a.

III. Ne quisquam, in æternum animæ suæ exitium, Sacramentum corporis & sanguinis Domini accipiat, quilibet ecclesiae minister omni studio invigilare tenetur. Matth. VII. 6. f. 123. b.

IV. Præprimis ritus confitendi in ecclesiis nostris retinetur propter sacram absolutionem, in quâ verbum Evangelii de remissione peccatorum & vita æterna, ex mera gratia, per Christum Mediatorem, cuius peccatori pœnitenti individualiter applicatur. f. 123. b.

V. Peccator pœnitens, qui peccata sua confessus est, post impetratam absolutionem, certus esse potest,
sibi

fibi à Deo omnia peccata remissa esse; Deumque certo certius sibi vitam æternam largiturum esse. f. 123. b.

VI. Ecclesiarum ministri non meram Evangelii doctrinam de gratia & fide, sed eam quoque, quæ pœnitentiam, peccata, iram & pœnas Dei adversus peccata tradit, omni studio inculcare tenentur; ut homines sua, ex lege, peccata agnoscant, iram Dei sentiant, corde verè humiliato atque contrito gratiam quærant, eâdemque obtenta, majori cum attentione deinceps à peccatis abstineant, atque Deo pro impetrata per Christum venia gratias agant. f. 124. a.

VII. Ubi nulla in corde præcedit contritio, ibi neque fides existere, neque vitæ emendatio subsequi potest. f. 124. a.

VIII. Nemo ostentationis vel solius consuetudinis ergo ad S. cœnam accedat, neque sufficere existimet, si absque omni iræ divinæ sensu in genere miserum se professus fuerit peccatorem, multò minus ex opere operato sibi Sacramentum prodesse autumet. f. 124. b.

IX. Ex opere operato sibi salutem promittit, qui existimat, solum opus externum, absque contritione atque fide in Christum, operatum, sufficere ad salutem. f. 124. b.

X. Quilibet verbi divini minister omni cum cura & industria in cathedra confessionali suo fungatur munere, minimè verò cursorie aut pro forma homines quoscunque absolvat, potius cujusvis confitentis pœnitentiam, fidem, pietatem, vitamque emendandi propositum accuratè exploret, quia alias propriam suam animam æternæ damnationis periculo exponit. Ezech. III.

17. sq. XXXIII. 7. sq. Prov. XXVII. 23. Ef. V. 20. 23.
f. 125. a. & b.

XI. Qualem impœnitentes, & quotquot spreta, aut neglecta conscientia exploratione debita, ad cathedram confessionalem aut Sacram Domini mensam accedunt, pœnam pertimescere habeant, videre licet I. Cor. XI. 29. 30. 31. f. 125. b.

XII. Quamvis Christianum, multorumque respectu necessarium sit, ut pii Christiani Confessionario suo aliquid offerant, minimè autem vacuis manibus in conspectu divino compareant; fideles tamen Jesu Christi servi neque pauperes neque alios quoscunque indignis modis eò adducent, ut oblatio sit res necessitatis, sed liberæ maneat voluntatis; Multò minus oblationum, aut personarum quarumcunque in sacro hoc negotio irreligiosum habebunt respectum, qui animabus ipsorum omninò foret exitiosus. f. 126. a.

XIII. Pastoribus animarum seriò interdictum est, ne homines turmatim accurrentes in genere absolvant, qui secus fecerit, à Superintendente in Synodo corrigendus est, correctionem respuens, ab officio est removendus. f. 126. b.

XIV. Confessionariorum officium exigit, quæcunque ipsis in cathedra confessionali revelata sunt, religioso silentio abscondere, scitu haud necessaria minimè percontari, æquos se præbere ergâ omnes, nihil verò ex privato, aut corrupto affectu suscipere. f. 126. b.

XV. Nemo confitentium Confessionarii sui vel admonitionem, vel correctionem ægrè ferat, multò minus pravum quendam contra eundem exserat affectum,
potius

potius omni cum reverentia quæcunque excipiat dicta, & minimè indignetur, si fortè absolutio gravibus ex causis in aliud differenda sit tempus. f. 127. a.

XVI. Admonitio illa, quæ ante actum confessionis & absolutionis in ecclesiis nostris prælegenda, pro ratione temporis & circumstantiarum quidem abbreviari potest, minimè tamen pro lubitu planè omitti aut extendi. f. 127. a. b. f. 139. b.

XVII. Ritus confessionis & absolutionis haud facile exerceatur in die Dominica horis matutinis, sed ordinariè tempore pomeridiano diem Domini vel dies sacros antecedente, nisi fortè casus necessitatis existat, aut plures una Pastor habeat parochias. f. 140. a.

XVIII. Conscientiæ in actu exomologetico non sunt confundendæ aut onerandæ temerè, præprimis si defectus tantum in eo sese exserat, quod aliquis non satis perfectè doctrinam referre calleat. Observetur tamen differentia inter adultiores & juniores. Illos quod concernit, si fidei suæ sinceritatem aliis documentis probaverint, longanimitate sunt ferendi. Hi autem, Catechismum, ad minimum quoad textum, ut discant, pressius sunt adstringendi. f. 140. a.

XIX. Certa confitendi formula simplicioribus præscripta, quoties à Pastoribus publicè prælegitur, toties ista prælectio fieri debet absque omni innovatione. f. 141. b.

XX. Quomodò honore & amore Ministerium Sacrum

crum

crum sit prosequendum patet ex allocutione ista, quâ confitens Confessionarium suum nominare jubetur: Reverende & Chare Domine, vel: **Würdiger lieber Herr.** Utinam horum verborum sensum parochiani quilibet ipsa praxi, & non solo ore exprimant, omnesque parochi se ita gerant, ut amore & honore digni reputari possint. Utcunque tamen se res habet, ratione officii sui nihilominus, quilibet Pastor ab hominibus quibuscunque amandus & honorandus est. f. 140. b.

XXI. Nemo ad Sacram Domini mensam admittendus est, nisi confessus fuerit & absolutionem acceperit. f. 141. a.

XXII. Quandò constitutum est, quod infantes nondum confirmati & quotquot Catechismum ignorant, non sint ad Sacram Cœnam admittendi, ultrò indè colligere datur, quod pariter arceri debeant à cathedra confessionali f. 141. b. Qui secus agunt, peccant; quoad prius, contrà præceptum ecclesiæ, quoad posterius, contrà ordinationem Spiritus Sancti.

XXIII. Eadem est ratio quoad peccatores excommunicatos aut impœnitentes, qui semet ipsos ab ecclesiæ consortio segregarunt, quamdiu cum ecclesia per publicam pœnitentiam & absolutionem nondum in gratiam redierunt. f. 141. b. & 142. a.

XXIV. Quoad surdos & mutos, externis indiciis desiderium Sacræ Eucharistiæ manifestantes, Superintendentis petendum est consilium. f. 142. a.

XXV.

XXV. Si confitenti cuidam deneganda est absolutio, causæ denegationis omni cum mansuetudine afferantur sufficientes, adjecta informatione, quod ista denegatio pro scopo habeat confitentis commodum & salutem, ne profanatione verbi & sacramenti Deum magis ad iram provocet. f. 142. a.

XXVI. Quicumque ecclesiæ minister sacramentum cœnæ desiderat, is vel collegam aut vicinum Pastorem sibi eligat confessionarium, hic verò, quoad omnes Ministerii Ecclesiastici partes & Christianismi officia, cum confitente suo sollicitè agat, & quoscunque in eodem observatos nævos fideliter ac fraternè corrigat. f. 142. b.

XXVII. Quilibet Ecclesiæ Minister officio suo in cathedra confessionali ritè rectèque defungi cupiens, Scripturæ debet esse peritus, imò potens existere in Scripturis; juxtà Act. XVIII 24., ut pro ratione officii, status atque conditionis hominum, cum unoquoque, juxtà exigentiam agere, atque corda verbo divino, per Spiritum Sanctum, ad peccatorum agnitionem christiane ac prudenter perducere possit. f. 144. a. b.

XXVIII. Caveat Ecclesiæ minister, ne cujuslibet delationi fidem habeat, aut sola delatione fretus, quempiam in cathedra exomologetica graviter redarguat, vel delata pro concione perstringat, potius ipsum delatorem eò adigat, ut delata probet aut taceat. f. 144. b.

XXIX. Quoties confitentes peccata sua notoriè talia nolunt pro peccatis agnoscere, sed potius disputando

B

tando

tando aliisve modis illicitis eadem justificare, toties non sunt absolvendi. In casu dubio: An factum commissum pro legis divinæ transgressione haberi debeat; partes amicè conveniant, absolutionem differant, & Superintendentis informationem petant. f. 145. a.

XXX. Irreconciliabiles non sunt absolvendi; Quod si tamen in foro sunt litigantes, tunc suo satisfacit Pastor officio, si iidem prævia informatione & admonitione promiserint, quod seposito omni personarum odio, de causæ suæ justitia persuasi, modis legitimis eandem tueri, decisionem verò à iudice æquo animo expectare, inque illa placidè acquiescere velint. f. 146. a.

XXXI. Magistratus minimè indignabundus ferre debet, si Pastores partes litigantes ad se accersant, easdemque admoneant, ne contrà conscientiam, sub specie re-cti, malam suam causam defendere pergant; Aut iidem, juxtà officium reconciliationis, quod gerunt, partibus litigantibus reconciliationem & amicabilem compositionem omnibus modis commendent: Siquidem Pastoribus hoc expressis verbis injunctum est. f. 145. b.

XXXII. Confessionarii, ut de fide confitentium certi esse queant, inquirent juxtà Symbolum Apostolicum, an contenta hujus Symboli sciant, intelligant, sibi que recte applicare didicerint. f. 146. b. 147. a.

XXXIII. Ut confitentibus eò melius consuli queat, pro statu cujusvis hominis peccatoris Confessionarius in parato habeat exquisitissima consolationum divinarum dicta, nec non exempla gravissimorum peccatorum, qui gratiam divinam consecuti sunt. f. 147. a.

XXXIV. Accedunt quandoque confitentes gravissimis

simis

simis expositi tentationibus, luctantur cum desperatione, premuntur indignitatis sensu, exercentur cogitationibus de æterna eademque occulta divina prædestinatione; Ut itaque illis fiat satis, Confessionari verbo & Spiritu debent esse instructissimi. f. 147. b.

XXXV. Discant quoque confitentes, quomodo Spiritui Jesu Christi obsequendum sit; quomodo per Spiritum actiones carnis sint mortificandæ; quomodo per Spiritum S. quilibet novus debeat homo existere; quomodo oratio Dominica in spiritu & veritate ad Deum sit dirigenda; quomodo bona opera juxta singula decalogi præcepta assidue in posterum sint exercenda; quomodo lapsus hactenus observati præcaveri ac emendari queant ac debeant; Ad quæ omnia Minister absolvens sua in parato habeat consilia & auxilia. f. 148. a.

XXXVI. Fiat itidem in cathedra confessionali commemoratio Sacramenti baptismi, ut confitens in memoriam sibi revocet sanguinem Christi, quo à peccatorum suorum sordibus ablutus est, & Spiritum Sanctum, quo largissimè in Sacro hoc fonte unctus est, imò & debitum suum, juxta quod piè ac religiose vivere tenetur. f. 148. a. & b.

XXXVII. Neque omittenda est doctrina cœnæ Dominicæ, siquidem hujus dignè participandæ ergò, confessio privata in nostris retenta est ecclesiis. f. 149. a.

XXXVIII. Hac ratione Pastor absolvens in compendio totius Catechismi rationem habebit, & quidem tali methodo, ut non solus ex Catechismo loquatur, sed, si opus fuerit, cum ipso confitente blandum quoque ex Catechismo instituat colloquium. f. 148. a.

XXXIX. Quodsi hætenus tradita tantum in gratiam Pastorum simpliciorum consignata sunt, quis non intelligit, quibus præfidiis instructi esse debeant illi, qui vel minimum in ecclesia Pomerana ambiunt officium Pastorale f. 148. b. Utinam hoc secum perpendant sedulo, non solum qui sacrum appetunt officium Ecclesiasticum, sed & qui ad illud evecti, talia exercendi quotidianam ferè habent occasionem.

LX. Absolvendus credere debet, Confessionarii absolutionem in cælo coram Deo valere. Joh. XX. 21. sq. f. 149. b. 150. b.

XLI. Potestatem istam absolvendi ipse Dominus noster Jesus Christus instituit. f. 150. a.

XLII. In ipso absolutionis actu fiat quoque manus impositio. f. 150. b.

XLIII. Absolutio fit vice Dei, in nomine Domini Jesu Christi. f. 151. a.

XLIV. Non solum annunciat Minister Dei remissionem peccatorum atque eandem promittit, sed & liberum ac immunem pronunciat atque renunciat hominem peccatorem ab omnibus suis peccatis, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Hinc dicit: Ich spreche dich loß von allen deinen Sünden/ auf den Befehl des Herrn Christi &c. f. 151. a. b.

XLV. Qui peccata sua confessi sunt, impetrata absolutione non confestim templum relinquunt, sed flexis genibus Deo gratias agant, & ab eodem Spiritum S. desiderent, deinceps temperanter ac sobriè ad S. Eucharistiam se præparent. f. 151. b.

XLVI. Cathedræ confessionales ita debent esse exstructæ,

exstructæ, ut Confessionarii cum confitentibus absque omni turbatione colloqui possint, & ab aliorum auscultationibus nil quicquam ipsis metuendum sit. f. 152. a.

XLVII. Extrâ casum necessitatis non audiantur confessiones nisi isto in loco, qui sacro huic negotio in templo destinatus est. f. 152. a.

XLVIII. Potestatem ligandi sive peccata retinendi exercent Pastores in timore Dei, secundum normam in Scriptura S. & Ordinatione Ecclesiastica expressam. f. 153. a.

XLIX. Qui vel in doctrina vel vita graviter impingunt, præviasque admonitiones & correctiones spernunt, neque ad Sacramentum admittendi, neque pro Christianis habendi sunt, donec emendatio ipsorum publice innotuerit. f. 153. a. b.

L. Haud quidem omnis in vita civili conversatio denegari potest excommunicatis, familiariter tamen cum iisdem nequaquam conversari licet. 1. Cor. V. 3. 10. II. 2. Joh. V. 10. f. 153. b.

LI. Ne quispiam clave ligante abutatur, excommunicatio publica non aliter fieri debet, quam ex consilio ac dispositione Superattendentis & Consistorii. f. 153. b.

LII. Quando crimen non est notorium aut publicum, nullæ suscipiantur criminis istius, ratione personæ delatæ, censuræ publicæ; interim tamen, si communis adsit rumor, privatim ac fraterne ejus causa cum eadem agi potest ac debet. f. 154. a.

LIII. Quando privatim de crimine quodam commisso admonitus delictum suum profitetur & emendationem promittit, tunc si delictum non fuerit notorium,

B 3

neque

neque inter omnes constiterit, privatim absolvi potest, adjecta admonitione, ut grati animi testandi causa, ex libero beneplacito aliquid in pios largiatur usus. f. 154. b.

LIV. Quodsi verò scandalum vel ratione doctrinæ, vel ratione vitæ commissum, inter omnes constet, ipseque scandalosus de eodem convictus sit, tunc à Pastore in templum accersitus, debita cum mansuetudine ad pœnitentiam est revocandus. Si revocetur, excommunicatione quidem opus non est, interim tamen ad Consistorium vel Superintendentem remittendus est, ut certus fiat, quomodo publicè sit absolvendus, & quid in pios conferre debeat usus. Si autem ad pœnitentiam non fuerit revocatus, Minister Dei repetitis admonitionibus, tempus quatuor hebdomadam ipsi indulgeat, quo elapso, in præsentia Diaconi & Provisorum templi vel aliorum Christianorum, peccatorem denuò ad pœnitentiam seriò manuducat, ità tamen, ut peccator intelligat, nil præter animæ suæ salutem scopum esse omnis admonitionis, adjecta asseveratione, quod, nisi resipuerit, autoritate Consistorii & Superintendentis alius subsequatur sit processus. t. 155. a. b.

LV. Processus ille subsequatur, quoad peccatorem obstinatum & induratum, in eo consistit, quod post decursum mensis, autoritate Consistorii & Superintendentis, publica ipsius fiat denunciatio, in qua non modò ipse peccator ad pœnitentiam invitatur; sed omnia simul excitantur ecclesiæ membra, præprimis illa, quæ peccatorem istum, quoad vinculum vel naturale vel civile, proximius attingunt, ut intrà proximum mensem, circa eundem reducendum studiosissimè laborent, addita comminatione,

natione, nisi intrà statutum peccator resipuerit tempus, quod ipsa subsequutura sit publica excommunicatio. f. 156. a. b. 157. a.

LVI. Qualemcunque in quolibet admonitionis gradu se gesserit peccator scandalosus, semper relatio fiat ad Consistorium & Superintendentem, & expectetur informatio. f. cit.

LVII. Antequam ipsa publica suscipitur excommunicatio, excommunicandus peremptoriè ad Consistorium citandus est, ut hac ratione Consistorio innotescat, an excommunicatio sit exequenda vel omittenda. f. 157. b.

LVIII. Mediante excommunicatione peccator a consortio ecclesiæ segregatur, & virtute Domini Nostri Jesu Christi Satanæ traditur in interitum carnis, ut spiritus fervetur in die Domini Jesu Christi. Arcetur quoque ab usu Sacramentorum & omnium Sacrorum, solo verbi auditu excepto, donec ad saniolem redeat mentem. f. 159. a.

LIX. Si excommunicatus istam Domini nostri Jesu Christi ordinationem contemptui & ludibrio habuerit, Consistorium Magistratus brachium seculare imploret, ut ejusmodi malevolus carcere per certum temporis spatium coerceatur, & si opus fuerit, ultrà cœtus sui, aut totius provinciæ terminos proscribatur. f. 159. b.

LX. Publica peccata publicâ quoque indigent pœnitentia, in terrorem non modò aliorum, sed eum quoque in finem, ut sic peccantes cum ecclesia reconcilientur. Quod si enim is, qui privatim proximum suum offendit, deprecatione opus habet, multò magis is, qui integrum cœtum offendit. Accedit, quod pœnitens ad
Eccle-

Ecclesiasticam quoque redire debeat communionem, hinc requiritur, ut singulis ecclesiæ membris innotescat, quis ipsorum amore & favore dignus sit habendus. f. 160. a. b.

LXI. Publica absolutio non est actus legis, sed Evangelii; non iræ, sed meræ gratiæ; non rigoris, sed dilectionis; non clavis ligantis, sed solventis. f. 161. a.

LXII. Egregiè absolutio publica illustratur simili, ab homine relegato petito, quem princeps in gratiam recipit publicâ declaratione, quod receptus ab omnibus subditis, ut concivis iterum sit habendus, amandus ac honorandus. Adeoque, quantum absolutio publica sit beneficium, vividissimis exprimendum est coloribus. f. 162. a. b. 163. a. b. 164. a. b.

LXIII. Solus Christus Dei Filius pro peccatis hominum satisfecit, & Deus ex mera gratia planè gratuita peccata hominibus verè pœnitentibus & in Christum credentibus remittit; adeoque quicquid ab hominibus pœnitentibus, prævio vel Superint. vel Consistorii iudicio, in pios usus confertur, minimè est satisfactorium pro peccatis, sed illud tantum offertur, partim in testimonium haud fucatae pœnitentiæ, partim in testimonium debiti ergà Magistratum obsequii, partim in testimonium animi ergà Deum & Ecclesiam grati. f. 195. a.

LXIV. Siquispiam post publicam absolutionem denuò publicum committat scandalum, casus iste ad Consistorium & Superintendentem deferendus est, unde haud immeritò colligitur, quod tunc gravior quoque ferri debeat censura. f. 170. a.

S. D. G.